



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Factum mirum Theodori Anachoretæ, Qui oratione sua in mari dulcem
aquam effecit. Capvt CLXXIII.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

ad eum ipse, & teste veritate, nunquam ad illum ingressus sum, quin ipsum aut legentem, aut scribentem contra Iudæos inuenirem. Magno enim feruebat zelo conuertendi gentem illam ad veritatem. Ideo & sæpè misit me ad Hebræos quosdam, vt per literas illis colloquerer. Non enim facile domo egrediebatur ipse.

AD hunc dominum Cosmam Scholasticum die quadam profectus sum, cumque mihi magna ad illum esset fiducia, interrogauit me cum dicens: Fac charitatem, dic mihi, quantum temporis habes in hoc instituto. Tacenti verò, & nihil respondenti, rursus dixi illi: Per Dominum dic mihi. Cùm autem se ille paululum sub silentio continuisset, ait mihi: Triginta, & tres annos habeo. Quòd ego audiens glorificaui Deum.

ALIAS iterum accessi ad illum, & interrogauit me cum, dicens: Fac perfectam charitatem, sciens quia propter utilitatem animæ interrogo te. Dic mihi quæso. In tanto tempore instituti tui, quietis, & continentiae, quid adeptus es. Ille verò ingemiscens, & ex intimo corde suspirans ait mihi: Quid potest secularis homo virtutis adipisci, & maxime residens in domo sua? Ego autem rursus illum rogabam dicens: Per Dominum dic mihi, vt ipse quoque proficiam. Tunc verò multum coactus à me, dixit, Ignosce mihi. Tria ista confiteor sum, non iurare, non mentiri, non ridere.

His virtutum ornamentis Sancti carnis concupiscentias, & mundi blandimenta vincebant.

2 *Si erat Virgo, potest seruari Virginitas, quod semper intelligitur diuinæ gratiæ auxilio, quæ nunquam negatur eam humiliter petenti.*

Factum mirum Theodori Anachoretæ, Qui oratione sua in mari dulcem aquam effecti.

CAPVT CLXXIII.

Anachoreta quidam erat in partibus Iordanis, nomine Theodorus, eunuchus. Hic necessitate quadam compulsus est Constantinopolim pergere, ingressusque est nauem. Cum verò nauis diutius detineretur in pelago, defecit aqua, erantque nauarum, & vectores in magna anxietate, & desperatione. Surgens autem Anachoreta, & ¹ expandens in cœlum manus suas ad Deum, qui saluat de morte animas nostras, facta oratione, signauit mare signo Crucis, & ait nauitis: Benedictus Dominus, haurite quantum aquæ opus habetis. Impleueruntque omniâ vasa sua de mari aqua dulci. Et omnes glorificauerunt Deum.

1 Oratione serui Dei cum expansione manuum, in cœlū, & signatione Crucis, aqua maris salsa dulcis effecta est

Factum aliud naucleri viri religiosi, qui pluuiam à Domino impetrauit.

CAPVT CLXIII.

Abbas Gregorius Anachoreta narrauit nobis, dicens: Cum ex Byzantio descenderem, ingressus sum nauim. Intrauit autem & scriba quidam cum vxore sua ¹ profecturus ad sanctam Ciuitatem orationis causa. Erat autem nauclerus religiosus valde, multumque ieiunans. Cū ergo nauigaremus, scribæ serui frustra consumebant aquam. Postquam verò in medium pelagus venimus, defecit nobis aqua, eramusque in magna tristitia. Et erat miserabile spectaculum, videre mulieres, & pueros, & infantes siti arecentes, & veluti mortuos iacentes. Cū ergo dies tres in hac necessitate fecissemus, scriba ipse tribulationem non sustinens, educto gladio, & nauas, & nauclerum